Acmella

Achmella, Atmella, Acmella, et Hachmella, istis enim nominib[us] fuit mihi missa iam ante decennium ex Insula Ceylon, ubi nascitur, et familiaris est haec herba. Cum Barbarica sint haec Plantae nomina, de eorum origine nihil compertum habeo: Ipsa vero Planta, quam ipse colui, flores fert in caulium summis ex multis flosculis tubulosis coagmentatos, et in caput coactos perquam similes Chrysanthemo Corassanico alato caule flore aurantio, cuius Icon extat apud Plukenet, et in Paradiso Batavo Hermanni, sed luteolos, quibus excussis sequuntur semina longa ex fusco-grisea, plana summâ sui parte duplicibus aristis praedita: Caulis est quadratus foliis coniugatis Lamii, et Urticae longioribus (quae acria sunt) praeditus; ex quibus conjicitur spectare hanc Plantam indubie ad Corymbiferarum gentem, et genuinam esse sobolem eius generis, quod Bidens a semine bidente vocat Cl. Pitonius, eumque secutus Tournefortius. Cum hactenus nomine careat haec planta, hoc ipsi impono ex ipsius Plantae ingenio:

Bidens Urticae foliis Zeylanica Lithontriptica.

Inter omnia enim medicamenta, quae in calculo minuendo valere perhibentur, Planta haec nuperis ab annis facta est celeberrima inter nostrates homines, qui in Insula Ceylon agunt, et novissime quoque apud nos celebritatem nacta est.

In Literis superiori anno ad me datis, primus Nosocomii Urbis Columbo (quae sita est in memorata Insula) Praefectus, et

ut videbar, industrius, et diligens, ex rei veritate testari se posse asserit efficacius medicamentum contra calculum, ac dolores nephriticos repertum hactenus non fuisse, qui et hoc addit tres species a se multâ investigatione inventas esse, quarum prima est foliis dilute virentia, 2.do foliis est saturate virentibus, et semen quoque producit luteum, 3.tia semen nigrum profert, et foliis amicitur longe maioribus; duas autem priores optimas esse, et virtute praestantissimas; fertilissimam denique esse Plantam, quae plus quam decem millia seminum profert. Miles, qui primus huius herbae indicium dedit Societati nostrae Indicae, profitebatur se plus quam 100 aegros eius ope liberasse a calculo, et nephriticis doloribus; quae et cum successu in duobus aegris usurpata, ut testatur in literis ad Societatem Indicam 1690 datis Gubernator, ut supremus Batavorum consessus Zeylanensis, ait enim in his aegris deturbatos, excussosque multos arenulos absque ullo fermè dolore. Huius herbae folia usurpantur, et semen (quod prae caeteris partibus laudat Praefectus iste noster Nosocomii) radix, caulis, et ramuli; folia lecta antequam flores prodeant in umbrâ siccata, et in pulverem comminuta dantur in vehiculo convenienti, aut aquae calidae infunduntur; bibitur ista infusio instar infusionis Herbae Thea; infunduntur etiam in spiritu vini; paratur et per distillationem spiritus ex radice, caulibus, et ramis. Huius Herbae flores, radices, et sal feliciter se usurpasse in Pleuritide, Colicâ, et febribus asserit alius quidam Nosocomii Zeylanensis Chirurgus

Atque haec sunt quae mihi innotuere ex literis Columbo ad Societatem Indicam

Judicam, tum ad me dabis. De huius Herbæ facultatibus, utcumque
modo ex meâ experientiâ nihil habeo quod addam, nisi quod Amicus
quidam meus plusquam semel apud me professus est se, postquam
uti cœpit dictâ infusione, doloribus Nephriticis, quibus erat obno:
:xius, non affici; habet autem eam in frequenti usu. —

Hæc de Acmella, eiusque viribus habui a celeberrimo Viro
Petro Hotton in Academia Lugduno-Batava Botanices
egregio Professore

Ego Felix Abb: Vialis